

XVIII. 2757. I

57109

D. IO. CAROL. CONR. OELRICHS

COMIT. PALAT. CAESAREI. IVR. NAT. CIVIL. ET HIST. IVR. LITT. PROF. ORD. IN. REGIO. ATQVE  
ACAD. GYMNASIO. PALAEO-STETIN. REGHS. BONAR. ART. SOCIETATIBVS. REGIOMONTI. FRANCOFVRTI  
AD. VIADRV. GRYPHISVVALD ET. GOTTING. NEC. NON. ELECTORALI. MOGVNT. ACAD  
SCIENTIAR. VTIL SOCIETATIBVSQVE. DVCALI. HELMSTAD. ITEMQVE. BREMENSI  
TEVTONICIS ET. LATINAE. IENENSI. ADSRIPTI

LIBRI. VETVSTISSIMI. RARISSIMIQVE  
CONSTITVTIONVM. ET. STATVTORVM  
REGNI. POLONIAE

IN  
BIBLIOTHECA. SVA. EXSTANTIS  
PRESSA. RECENSIO

---

QVA  
CELEBERRIMO  
GYMNASIO. THORVNENSI

A. MDCLXVIII. INSTAVRATO. A. VERO, MDLXCIV. AMPLIFICATO  
MEMORIAM. PRIMAE. INSTAVRATIONIS. BIS. SAECVLAREM  
GRATVLATVR  
EIQVE. PERENNEM. FLOREM. ET. BLANDA. PRAESENTI. RERV. FACIE  
ANTIQVISSIMARVM. IPSIVS. POSSESSIONVM  
RESTITVTIONEM  
RESTITVTARVMQVE. AETERNITATEM

EX. ANIMO. PRECATVR  
TOTI. VERO. POLONIAE

ID. MOX. EVENIRE. ARDENTER. CVPIT  
QVOD. DE. SVA. AETATE. OLIM. CECINIT. *HORATIVS*

*Iam fides, et pax, et honor, pudorque  
Priscus, et neglecta redire virtus  
Audet, apparetque beata pleno  
Copia cornu.*

---

PALAEO - STETINI

APVD. GEORG. MATTH. DREVENSTAEDT. MDCCCLXVIII



Rarissimum pariter atque pretiosissimum typographiae, vt videtur, Cracouianae <sup>1)</sup> certe est monumentum liber, in ipsa Polonia coruo albo rarior, <sup>2)</sup> inscriptionis loco, imaginem in folii primi prima parte habens, rudi manu, ligno exsculptam, in eaque regem coronatum sedentem, sceptrumque manu tenentem, adstantibus duobus aliis viris, apertum ipsi librum offerentibus, in inferiori denique imaginis angulo, ad latus sinistrum, Poloniae insigne repraesentans: in altera vero eiusdem folii parte hanc prae se ferens inscriptionem :

*Constitutiones et statuta vel Sintagma-  
ta provincialia incliti regni polonie per serenissimum  
principem et dominum Dominum Kazimirum primum  
polonie regem: magnum ducem litwanie: russie: prussie  
que dominum et heredem ꝛ. Edita et promulgata cuius  
profecto: multiplex et varia atque recondita et altissima eru-  
ditio in maximisque pacis et belli negocijs exercitatio Tum  
veropro conditione et statu hominum vicia corripienti Qui  
que terras tumultuantes et res novas molientes: ad fi-  
dem et obsequium regium sua opera redegit: atque paca-  
tas et quietas tandem reddidit*

Secundus

- 1) Hanc fouet sententiam v. c. IO. DAN. HOFFMANNVS de typographiis earumque initiis et increment. in regno Pol. et magno ducatu Lithuan. Dant. 1740. 4. p. 3. seqq. vbi simul STANISLAI SARNICH, in versione Polonica priuilegii de libertate scholasticorum, ab VLADISLAO IAGELLONE a. c. cccc. dati, typographorum (Cracouianae) iam mentionem facientis grauis solocissimus litterarius merito notatur.
- 2) Id inde facile pater, quod in amplissima scriptorum Poloniae rariorum recensione, quam splendidum opus celsissimi Musarum Polonicarum statoris, IOSEPHI ALEXANDRI IABLONOWSKY, 3. R. I. principis, palatini Nouogrodensis, inscriptum: Musaeum Polonum. Leop. 1752. 4. atque auctius editum Elbingae 1766. 4. tomum scilicet II. IPSIVS Diff. hist. criticae de origine, progressu, cultura, perfectione denique Litteraturae Slavo-Poloniae, quae ibid. eod. in 4. prodiit, faciens, exhibet, ne mentio quidem nostrae editionis iniecta, neque ea, vt videtur, sollertissimo alias rariorum Poloniae librorum indagatori, cel. IO. DAN. IANOTZKIO satis cognita. CONF. EIVSDEM Nachricht von denen in der Hoch-Graeflichen ZALYSKIjchen Bibliothek sich befindenden raren Pölnischen Büchern, part. III. p. 109.

Secundum folium cum tertio et quarto exhibet contenta *libri primi Statutorum sic* concepta, atque typis expressa, prout hic lineae se inuicem excipiunt: <sup>3)</sup>

*Series et numerus Titulorum seu rubricarum ordine operis se sequentium sequitur*

De constitutionibus et statutis	I	De illo qui accusatur de violentia	XXX
De limitibus terminis et Grenitiibus tam fluiuorum quam hereditatum	II	De illo qui accusatur de furto	XXXI
De eo quod quilibet nobilis in expeditione bellica sub aliquo vexillo se locare tenetur	III	De ciuibus vel mercatoribus aliqua ad <i>prestam</i> vendentibus	XXXII
De illis qui conuincuntur in iudicio et temerarie discendant absque actoris voluntate vel fideiussoria cautione	III	De hijs qui de nobilitate inculpantur	XXXIII
De rapinis et pignoribus	V	De eo qui vulnerat aliquem vitam suam defendendo	XXXIII
De eo quod patre viuente filius proprio sigillo non utatur	VI	De illo qui accusatur de furto apium et mellificiorum	XXXV
De scultetis tam spiritualium quam secularium personarum et ipsorum bellica expeditione	VII	De illo qui inuadit domum alterius manu violenta	XXXVI
De clerico siue sacerdote qui possidet bona paterna hereditaria	VIII	De hijs qui in discordia quadam lesos se esse proponunt Et per partem aduersam secus affirmatur	XXXVII
De dominabus et virginibus que citant aliquem aut citantur ab aliquo	IX	An testibus in causis productis obici ( <i>obiici</i> ) possit excommunicatio	XXXVIII
De procuratoribus siue interlocutoribus causarum in iudicio	X	De nominatione testium	XXXIX
De iudiciis ( <i>iudiciis</i> ) cuiuslibet terre	XI	De prescriptione	XXXX
De pallatinis Sandomiriensi et cracouiensi	XII	De illo qui tenet aliquam hereditatem in obligatione	XLI
De celebratione iudiciorum	XIII	De muliere maritata que habet hereditatem ratione dotis	XLII
De iudicijs pertractandis ( <i>deest in textu</i> )	XIII	De vidua habente hereditatem ratione dotis	XLIII
Quis modus et ordo sit seruandus in personis vocandis ad iudicium	XV	De illo qui in alterius hereditatem ponit <i>sepes</i>	XLIII
Quibus in locis debent iudicia celebrari	XVI	De tutore orphanorum	XLV
Quibus modis ministeriales citare debeant	XVII	De vendita hereditate et media soluta	XLVI
De hijs qui inopinate et ex improuisu citantur in curia regis vel ad iudicium euocantur	XVIII	De mutuatione tritici vel alicuius rei	XLVII
De iniussa villanorum per ministeriales vexatione	XIX	De memoriali siue <i>pamyatke</i> solutione	XLVIII
De hijs qui cum strepitu et impetu ad iudicium veniunt	XX	De fratribus in bonis paternis diuisis	XLIX
De hijs qui committunt crimen aliquod autoritate et mandato suorum superiorum	XXI	De fure vtrum debeatur insequi per vicinos villanos aut non	L
Nullus debet citari nisi per ministerialem excepto vbi fit pro crimine recenti	XXII	De membrorum mutilatione	LI
De illo qui extrahit et procurat contra aliquem citationem sine legitimo actore	XXIII	De illo qui asserit se iniuste condemnatum	LII
De illis qui citantur et sunt in remotis partibus	XXIII	De fratre seniore prescriptionem negligente	LIII
De contumacibus per pignorationes puniendum	XXV	De fratribus vnum molendinatorem habentibus	LIII
De pignoratione et modo pignorationis	XXVI	De bonis delictis post mortem villanorum vel ciuium	LV
De pena que <i>Szyedindzefyatb</i> dicitur	XXVII	De equi accommodatione	LVI
De contumacia actoris	XXVIII	De <i>kemethone</i> siue rustico alium occidente	LVII
De hijs qui pro hereditate aut debitis citantur	XXIX	De illis qui de homicidio accusantur	LVIII
		De illis qui casu moriuntur	LIX
		De milite qui occidit militem	LX
		De illo qui occidit ( <i>occidit</i> ) matrem alicui	LXI
		De fratricidio	LXII
			De

3) Abbreviaturas vero seu compendia scribendi hic frequentissima, quum dudum typi haec exprimentes ex officinis nostris typographicis exsulent, ante oculos hic ponere haud potuimus.

De hijs qui occidunt aliquem vel mutilant	LXIII	De falcastratione vel graminum amputatione alicuius prati	CII
De vagantibus hinc inde et rapinas committentibus	LXIII	De vulneratione alicuius in ludo	CIII
De vocatione ministerialium ad conspiciendum aliquos occisos	LXV	De fideiussoria cautione	CIII
De hijs qui aliorum femina eorum depascunt pecoribus	LXVI	De vxore post mariti mortem	CV
De illo qui agit contra aliquem iure teutonico	LXVII	De donatione virginum	CVI
De iumentis damna inferentibus in frumentis	LXVII	De violatore fratre publice	CVII
De incendiarijs et exustoribus	LXIX	De alicuius rei inuentione	CVIII
De violenta virgin, et mul, deflorat, <i>(deest in textu)</i>	LXX	De inculpatione <i>wladarij</i> per ipsius dominum	CIX
De illis post habentes uis <i>(ius)</i> teutunicum cum utuntur polonico	LXXI	De sculterie emptione	CX
(in textu haec inscriptio ita emendata legitur: <i>De illis qui habentes ius teutonicum utuntur polonico</i> )		De diuisione facta coram amicis	CXI
De illo qui citatur contra suum priuilegium	LXXII	De furto et larcinio <i>(latrocinio)</i>	CXII
De villanis inuito domino alio se subitientibus	LXXIII	De pueris legitima etate carentibus	CXIII
De pueris annis discretionis carentibus	LXXIII	De uiduis et maritatis et earum prescriptione	CXIII
De illo qui de furto aut alio crimine accusatur qui cum alias bone fame existit	LXXV	De illis qui calumniose de crimine homicidii accusantur	CXV
De eo qui aliena recepit sine domini voluntate	LXXVI	De sententia iniqua per iudicem lata <i>(CXXI)</i>	CXI
De morsu canis ex alicuius incitatione	LXXVII	De eo quod iudex non debet redargui in presentia pallarini vel capitanei	CXVII
De extinctione candele et vulneris incussione	LXXVIII	De pignoribus faciendis et pecoribus pellendis	CXVIII
De pastore ouium	LXXIX	De illo qui sententiam iudicis redarguit	CXIX
De ludo taxillorum	LXXX	De redargutione subiudicis	CXX
De lusoribus taxillorum	LXXXI	De moneta in regno currente	CXXI
De terrigenis ad bellum transeuntibus damna villanis inferentibus	LXXXII	De eo quod milites et nobiles ad expeditionem bellicam sunt obligati	CXXII
De filijs qui moriente matre petunt a patre portionem maternam antequam secundam vxorem ducit	LXXXI	De prescriptione hereditatum	CXXIII
De profugis et furta committentibus	LXXXIII	De tutoribus puerorum	CXXIII
De vsuris iudeorum	LXXXV	De tutoribus orphanorum	CXXV
De hijs qui in filijs alienis damna faciunt	LXXXVI	De filia viuente patre dotata	CXXVI
De impropagationibus	LXXXVII	De vilationibus <i>(Violationibus)</i> virginum viduarum vel maritatarum	CXXVII
De illis qui nocte alicuius frumenta in campo recipiunt	LXXXVIII	De illo qui tribus vicibus de furto fuerit conuictus	CXXVIII
De villani vulneratione	LXXXIX	De illo qui interfecit iumentum alicuius indomitum	CXXIX
De percussionibus militum et nobilium	XC	De incidentibus siluas vel <i>gaya</i> vel <i>Borras</i> alienas	CXXX
De plantatione et insertione pomerij	XCI	De iumentis indomitis pascendis sub custodia	CXXXI
De aliqua re violenter recepta	XCI	De porcis siue <i>serophis</i> et eorum pascenis siluestribus	CXXXII
De cultura agri alicui	XCI	De illis qui porcos precio ad siluam conducunt	CXXXIII
De receptione bonum per violentiam	XCI	De treugis pacis profugo dandis	CXXXIII
De feno violenter recepto	XCIV	De <i>kemishone</i> a suo domino fugiente	CXXXV
De frumentorum receptione	XCVI	De mutatione pecuniarum per iudeos	CXXXVI
De <i>polotis</i> damna alicui facientibus	XCVII	De salariis officialium in iudicio existentium	CXXXVII
De homine paupere diuitem per violentiam citante	XCVII	De causis criminalibus in absentia actoris	CXXXVIII
De illo qui sententiam castellani redarguit	XCIX	De citationibus fiendis per litteras et ministerialem	CXXXIX
De filio non emancipato	C	De debito pecuniario	CXL
De villano militi vel nobili plagam inferendo	CI	De fideiussoria cautione	CXLI

De obligationibus	CXII	De eo qui aliquem coram iudicio vel in iudicio vulnerauerit	CXLIX
De occupato in iudicio qui crimen mandato se fecisse proponit	CXLIII	De eo qui coram regia magestate aliquem vulnerauerit vel gladium extraxerit	CL
De donationibus	CXLIII	De violentijs fiendis in pabulorum venditione	CLI
De prescriptione pecorum vel pecudum	CXLV	De eo quod villanus non debet impignorari pro pena domini sui	CLII
De relicta vxore post mortem mariti	CXLVI	De eo quod pater non tenetur ferre iniquitatem filii et econuerso	(deest hic Num. CLIII)
De furto piscinarum vel lacuum	CXLVII		
De famulis in contentione dominum iuuantibus	CXLVIII		

Praeter ea in inscriptione libri commemorata atque iam recensita, adiecta sunt plura alia. CASIMIRI enim constitutiones excipit

*Registrum libri secundi.*

De transpositione terminorum	I	De causis quas soli capitanei iudicare possunt	XVII
In quibus mulier marito mortuo succedat	II	De notarijs terrestribus	XVIII
In quibus vidua succedere possit	III	De iudeis et eorum pecunie accomodatione	XIX
De orphanis	III	De vituperatione vnius nobilis per alium	XX
De pueris matre orbatis habentibus patrem	V	De vituperatione nobili illata a kemethone	XXI
De eo qui filios habuerit superduxeritque secundam vxorem et fillas (filias) propagauerit	VI	De libertate alicui per dominum concessa	XXII
De filiabus carentibus fratribus germanis	VII	De sculteto a kemethone a domino fugiente	XXIII
De tutoribus virginum	VIII	De sculteto inuili aut rebeli	XXIII
De prescriptione possessionum	IX	De filiis et lignis	XXV
De calu unius in hereditatibus factis	X	De kemethonibus habentibus mellificia aut apium examina in nemoribus alterius domini	XXVI
De limitibus et terminis fiendis	XI	De arnopro et incendio siluarum	XXVII
De venditore hereditatis	XII	De venationibus leporum	XXVIII
De reseruatione actorum seu libro terrestri	XIII	De venationibus ceruorum et onagrorum	XXIX
De terminis particularibus celebrandis	XIII	De fernis aut ancillis liberis (illiberis)	XXX
De memoriali alias <i>pamyathne</i>	XV	De fraternitatibus ciuitatum et rebus per pallatinum et capitaneum statuendis	XXXI
De vna questione alias <i>zaloba</i> plures personas attinente	XVI		

Post quem indicem haec leguntur:

*Incipit liber secundus Statutorum illustrissimis (illustrissimi) principis et domini nostri vuladislai Regis polonie etc. per ipsum Et Barones totius regni edita Craconie et in wartha confirmata. Sub anno domini Millesimo quadringentesimo vicesimo tertio*

Finis huius libri, more antiquo, sic est indicatus:

*Explicit liber Secundus  
statutorum terrestrium*

Deinceps statim index contentorum libri tertii Statutorum subsequitur, nulla praemissa inscriptione.

De conseruatione Jurium ipsis terrigenis largitorum	I	De limitibus inter bona nobilium et regie magestatis	XX
De obligatione castrorum per Regiam magestatem	II	De tenentarijs bonorum regalium in obligatione	XXI
De stipendio per regem terrigenis exoluendo	III	De inscriptionalibus alias <i>napykne</i> (in textu legitur <i>napyšne</i> )	XXII
De capitaneis ordnandis ( <i>ordinandis</i> )	III	De eo quod ciuitates non faciant aliquas inhibitiones ad forum ducendum	XXIII
De dignitatibus conferendis	V	De profugis	XXIII
De iuditione ( <i>iuditione</i> ) iuditorum capitaneorum	VI	De expurgatione infamie	XXV
De articulis per capitaneos iudicandis	VII	De expeditione bellica	XXVI
De burgrabijs capitaneorum	VIII	De iuribus terrestribus	XXVII
De ministracione iuris in aduentu regis in aliquem locum	IX	De vulneribus alicui illatis	XXVIII
Quod nemo bonis suis priuetur nisi iure conuictus	X	De pactionibus regalibus ( <i>in textu: exactionibus</i> )	XXIX
De terminis generalibus	XI	De litteris regalibus iudicare prohibentibus	XXX
De terminis particularibus	XII	De theolonatoribus	XXXI
De dilationibus terminorum	XIII	De fale terrigenis vendendo	XXXII
De memoriali alias <i>pamyahne</i>	XIII	De vulneratione nobilis per cinem	XXXIII
De reseruacione actuum siue libri terrestris	XV	De ortulano a domino recedente	XXXIII
De controuerſijs rixosis vulgariter <i>wspory</i>	XVI	De innouacione et confirmatione iurium antiquorum	XXXV
De calumniatoribus	XVII		
De pignorationibus	XVIII		
De iudeis	XIX		

*Incipit liber tertius statutorum terrestrium Nyeschewi-  
sum (Nyeschewiensium) per regem polonie kazimirum Secundum et ipsius ba-  
rones confirmatorum*

Hoc libro, veterum formula:

*Expliciunt statuta  
Nyeschewiensia*

finito, alia sequuntur, quorum haec est inscriptio:

— *Incipiunt articuli in conuentione noue ciuitatis  
corczin facti et confirmati per serenissimum prin-  
cipem kazimirum secundum et barones eius*

Vltimus denique totius Statutorum libri articulus sic est conceptus:

— *Item si ciuitatenses et oppidani aliquo decreto  
et statuto pallatini contrarios et inobedien-  
tes se exhibuerunt huiusmodi pallatinus habebit fa-  
cultatem reuocantem suo statuto et ordinationi punien-  
dum, mutilandum iuxta antiquam consuetudinem.*

Nihil

Nihil enim amplius sequitur, 4) quamvis ultimi folii primum latus ad dimidium dumtaxat litteras habeat et alterum totum vacet.

Forma libri est, quam vulgo dicimus, octava. 5) Constat plagulis VII extraordinariae tamen magnitudinis: quarum quidem quaevis, in primis quatuor foliis, pro seruando ordine, signatura hodie consueta, munita est: neque vero editoris, nec typographi, nec temporis, nec loci, quo prodiit, vlla facta est mentio. 6) Neque nos annum editionis huius, extremae omnino raritatis, accurate definire valemus. Omnes tamen habet antiquissimorum librorum characteres. Inscriptio nimirum libri, non in fronte, vt iam supra monuimus, est posita, sed in auersa eius parte. Litterae sunt incultae, Gothicis MSCtis eius temporis, in quod artis typographicae origo incidit, quam simillimae. Initiales librorum, titulorum, sectionum, litterae hic neque impressae, neque adscriptae, neque adpictae sunt: quarum etiam typi in libris, statim post typographiam inuentam, publicatis, rarissime cernuntur. 7) Nec  
paginae

- 4) Commemoratur quidem cel. HOFFMANNVS c. l. p. 4. se exemplar huius libri vidisse, cui in fine addita fuerint verba: *Finis Statutorum regni Poloniae emendatissime impressorum*. Verum, quum in nostro desint exemplari, de nostra eaque antiquiori omnino editione cum non loqui, satis patet.
- 5) HOFFMANNVS c. l. p. 3. formam huius libri esse, quartam adserit: quod vel de suo valebit exemplari, vel de nostra tantum valeret editione, si externam libri, quem diximus formam, solum spectare eamque, ob magnitudinem chartae, pro 4ta, ac plagulas octo foliis constantes, tunc pro geminis, quas typographi, quoties ex arte loquuntur, *Duernen* dicunt, habere vellemus.
- 6) De omissionis huius causis, prima typographicae aetate, conferendus est SEBAST. IAC. IVNGENDRES in *Disquisit. in notas characteristic. libror. a typographicae incunabulis ad a. MD impressorum*, p. 5.
- 7) Huius rei causa est, quod, ante typographicae inuentionem, peculiare genus hominum, in litteris initialibus, codicibus manu exaratis elegantissime addendis, posteaque in libris impressis, sic exornandis, esset occupatum, dictumque inde: *Illuminatores*, v. c. IO. DAV. KOEHLERS in *der Anweisung für reisende Gelehrte*, p. 18. In quibus litteris figuras saepius vidimus repraesentatas, ad antiquitatum, veterumque rituum intelligentiam, multum facientes. Non hominum modo, sed plantarum etiam, aliarumque rerum effigies dabantur pictae, atque condecoratae. Quoties vero codices eiusmodi oculis vsurpare licuit, quod in itinere nostro litterario haud raro accidisse, nobis gratulamur: toties eam veterum valde admirati sumus artem, qua tenues auri lamellas membranarum ita imposuerunt, vt vix inde separari queant: super quas deinceps variegatis coloribus pingere consueverunt, quod artificium cel. BYRC. GOTH. STRUVIUS in *Actis lit. e MSCtis erit. fase. I. p. 10.* hodie inter res deperditas, vel sicubi restitutae, haud tamen in vulgus notas, numerandum, recte, nostro quidem iudicio, censet. Inde ingens MSCtorum, iis temporibus, pretium! At monachi, moniales, scribae publici, notarii olim dicti, pictores, punctatores cet. ad quadraginta millia hominum, qui in imperio solum Romano, ex librorum descriptionibus atque exornationibus vivebant, inuenta arte typographica, in extremam paupertatem proiecti, vel fame periissent, nisi relictus ipsis fuisset a typographis labor aliquis in libris exornandis iisque adpingendis litteris initialibus, vnde alimenta sumerent vitae. Haec maxime probabilis, nobis quidem, moris huius omittendi has litteras videtur esse ratio: quo de satis luculenter loquitur v. c. WILH. ERNEST. TENZELIUS in *denen monatbl. Vnterredung. a. MDCLXXXII. p. 695. Die Rubriken der Bücher*, ait, *Sind Capittel samt denen grossen Buchstaben im Anfange derselben, sind mit der Feder binzu geschrieben: welches alles im Anfange der Druckerey zu geschehen pflegte*. Nondum enim eo nos adduci passi sumus,

paginae numeris distinctae, nec custodes, seu reclamantes adsunt, quod iterum ab artis initio non minus negligebatur. Charta editionis nostrae, soliditate atque densitate, chartae ei, quae iam saeculo XVI libris imprimendis plerumque adhibebatur, multum antecedit. Torus liber caret virgulis, quae alias commata, atque CICERONI *incisa* vocantur, et praeter puncta et cola, distinctionum nihil reperitur. Signa diuisionis non omnino quidem hic exsulant, rarissime tamen sunt adiecta. Litterarum compendiis siue abbreviaturis contra abundat, itemque erratis, ac lacunis.<sup>8)</sup> Orthographia denique, qualis in vetustissimis libris deprehenditur.

Haec omnia nunc satis produnt, hunc librum iam *saec. XV.* excusum esse. Verum paullo propius adhuc editionis tempus potest indicari: siquidem statuta haec CASIMIRI *Nyefschewiensta* a clōcccccliiii sancita, a clōccccclxxxvi ab ALBERTO, *rege Poloniae*, esse confirmata, iisque alias leges ac regis ALBERTI praefationem accessisse, testis est ipse supra excitatus HOFFMANNVS:<sup>9)</sup> quae quidem in nostra desunt editione: quod luculenter declarat, eam ante a clōccccclxxxvi in vulgus exiisse, atque sic IOANNEM DE LASKO, *regni Pol. cancellarium*, haud dici posse primum statutorum regni Poloniae editorem,<sup>10)</sup> quod et domestici, et exteri scriptores, vno quasi ore, adhuc contenderunt,<sup>11)</sup> quos vero omnes erroris iam sui conuictos esse, spem ingredimur certissimam.

---

sumus, vt in eorum iremus sententiam, qui sibi persuasum habent, typos initiales, siue capitulares, vt dicunt, longe post typographiae natales, aino demum clōccccclxxx esse inuentos: prout v. c. FRID. CHRIST. LESSERO in *der Hist. der Buchdruckerey*, p. 128. aliisque visum fuit: quum alia omnia doceat v. c. IO. DAN. SCHOEPELINVS in *Vindic. typograph.*, p. 32. *psalterio*, a SCHEFFERO, *Moguntiae*, a clōccccclvii cum capitalibus litteris pulcherrime sculptis et coloribus variegatis, impresso, itemque GVIL. DVRANDI *Rationali diuinor. officior.* quod a clōccccclix ex officina FAVSTI ibidem prodit, et nonnullis etiam litteras capitales, partim rubro, partim coeruleo colore impressas habet. Atque, vel toti fallimur, vel aequae facili, quid? quod faciliori negotio typi maiores, (qui quoque, licet rudes, in hoc *Constitutionum et Statutorum regni Poloniae* libro offenduntur) quam minores potuerunt fingi: nisi in illis tantum ornatum, quantum litterae initiales in MScris habebant codicibus, primis quidem, post inuentam typographiam, typorum artificibus omnino haud facilem desiderassent, aut eas, quas paullo ante diximus causas, in vel plane ad aliquod tempus omitendis, vel rarissime saltem adhibendis litteris initialibus maioribus, quidam, primos inter, respexissent typographi. Alios contra, hac aetate, loco litterae maioris initialis, minorem interim in spatio ad pingendam exornandamque illam satis amplo, vt ita facilius redderetur lectio, posuisse, non minus constat.

8) Falluntur omnino sibi persuadentes, a primis exortae typographiae annis, libros exscriptos fuisse accuratissime: quum ex eorum inspectione pateat contrarium. Atque sic vere scripsit PETR. VICTORIVS *Var. lect. lib. XXVI. cap. II.* *Non facile dici posse, quam mendose negligenterque libri olim excusi fuerint.*

9) *c. l. p. 4.*

10) Edidit is iussu ALEXANDRI, *regis Pol.* et cum approbatione ordinum: *Commune inelyti Poloniae regni priuilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque cet. Cracouiae ex officina IO. HALLERI 1506. fol.* Conf. etiam hic v. c. IO. DAN. IANOTZKY *c. l.*

11) DAV. BRAVNIVS de *scriptorib. Pol. et Prussiae p. I.* LIPENIVS ET STRVVIVS in *bibliothecis iuris.*

---

PALAEO - STETINI. LITTERIS. LEICHIANIS

---